

66.
IN NOMINE JESU
EXERCITATIONUM POLITICARUM
DISPUTATIO IX.

DE

DEMOCRATIA

IN GENERE, ET DE
POLITIA, UT ET DE DEMOCRA-
TIA SPECIALITER SIC DICTA
IN SPECIE.

Quam

PRÆSES

M. JOHANNES Deutsch-
man / Facult: Philos: Adj.

ET RESPONDENS

HEINRICUS Kleinschmidt / Livonus,

proponent publicè

Ad diem 9. Junij

Horis Matutinis

Typis JOBI WILHELMI FINCELII.

ANNO MDCCLV.

~~177.~~

a. XXV. 55.

Coll. diss. A
25, 55

IN NOMINE RESE
EXERCITATIONEM POLITICARUM
DISPUTATIO IX
DE
DEMOCRATIA
IN GENERE ET DE
POLITICA ET DE DEMOCRA
TIA SPECIALLY SIC DICTA
IN SPECIE

Præses

MICHAELIS



HEINRICHUS

proponent publicus

Ad diem 9. Junij
Hort Maximilian

Typis Joh. Wilhelmi Finckelii
anno MDCCLV

Bonum sui est communicativum, constans est philosophorum regula. Movet enim bonum quodvis appetitum, eumque in amorem sui allicit: frustra autem appetitum moveret, si omni penitus communicatione careret. Vanum est desiderium, quod in incommunicabile fertur objectum. Majestas politicum est bonum, & sui etiam verè communicativum. Ea enim, quæ ipsi propria sunt, axiomata modo uni, quod in *Regno* fit, aliisque *Monarchia* statibus, modo paucioribus, quod *Oligarchia* attendit, modo *toti* communicat *populo*, quo in casu *Democratiam* constituit. Nos de prioribus antea theses proposuimus, hac vice *Democratiam* nobis eligimus: DEUS ANNUE COEPTIS!

I. De Monarchia & Oligarchia hætenus, de *Democratia* I. *Existentiam* notamus. Rationes dubitandi sunt in promptu, quibus neutiqvam *Democratiam* dari, videtur posse inferri. (1) *quia Democratia Rempubl. non tam constituere, quam destruere videtur.* Nam hoc certum est, quod in omni *Republ.* sint Imperantes & parentes: his enim ceu partibus tota *Respublica* continetur. Jam in *Democratia* populi occurrit imperium, ubi autem totus populus imperat, ibi nullus datur subditus. Ubi nullus subditus, ibi nulla datur *Respublica*. Verum *Resp.* (1) Argumentum foret tale: Q. destruit *Rempubl.* non potest esse forma *Reipubl.* At *Democratia* &c: ibi disting. inter *destructionem veram & apparentem, absolutam & comparatam.* Hoc equidem facile concedimus, quod certæ *Rerūpubl. formæ* per *Democratia* statum tolerantur, utpote *Monarchia & Oligarchia.* Hæ enim

formæ desinunt, quando Democratia fieri incipiunt. Hinc *lim. Maj. Q. absolutè* ipsam destruit Reipubl. essentiam &c. sic negatur *Minor. (2) Democratia* dupliciter accipitur, vel *pro Reipubl. statu*, vel *pro imperandi actu*. *Priori* modo hic politicè accipitur, & certam formam denotat, suis certis legibus munitam, & certis limitibus circumscriptam: *Posteriori* v. sumitur pro actuali dominio, quando omnes actu imperij fasces arripere, & omnia turbare conantur. Talis Reipublicæ status Reipubl. naturam, quæ talis, magis destruere, quam conservare videtur.

2. (2) O. forma Reipubl. est bona: Democratia non est bona: Ergo Democratia non potest esse Reipubl. forma. *Minor* probatur ex illo *Homeri: Οὐκ ἀγαθὸς πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν* & ἕστω h. e. Unus sit Dominus, nam multi non benè regnant. *Major* autè est certa. Resp. (1) hac ratione non tantum Democratia, sed etiam Aristocratia & Oligarchia neganda foret, cum in his formis etiam multi seu plures uno imperent. (2) Non simpliciter, sed secundum quid *Homeri versic.* est intelligendus. Nam cum Politica sit prudentia, circumstantiarum accuratum examen requiritur, unde sæpius polycratia non potest locum invenire. (3) *dist.* inter statum *bellicum & pacatum*; de illa apud *Homerum* est sermo, non v. de *hoc*: facile autem concedimus, quod in bellicis administrationibus feliciter res unius, quam plurimum imperio gerantur.

3. (3) *Quis* absurdum est, universos simul imperare & parere, cum alius debeat imperare, alius parere. Resp. (1) *dist.* inter *imperium nominaliter* sumptum, quatenus *statum* ipsum notat, & inter *imperare*
verba-

verbaliter, quatenus *actum* dominandi significat. Imperii quidem *status* seu imperandi fundamentum est penes populum, non tamen omnes *actu* imperant. (2) dupliciter possunt *cives* in Democratia viventes considerari, vel *ut universi*, vel *ut singuli*. Priori respectu penes ipsos est Majestas, *posteriori* v. modo sunt subditi: *illo* modo sunt *δημοκρατῆντες*, *hoc* v. *δημοκρατῆμενοι*. (3) Imperandi *actus* vel est *immediatus*, vel est *mediatus*. Populus si dicatur imperare, non hoc de imperandi actu *immediato*, sed potius *mediato*, quo per suos officiales & deputatos imperium administrat, est intelligendum.

4. (4) *Quia* democratia valde est imperfecta, & tam variis mutationibus obnoxia. Respublica autem est à recta ratione & prudentiæ instituto. Hæc autem non aliquid imperfecti intendit, sed potius semper perfectum finem respicit. Resp. (1) *negamus* Democratiam esse imperfectam. Habet suum materiale, habet suum pariter formale. *Materiale* est civitas, *formale* civitatis ordo, quis igitur eam jure de imperfectione accusare poterit? (2) Aliæ etiam formæ Rerump. mutationibus variis sunt obnoxia, nec tamen propterea sunt nullæ (3) *dist.* inter Democratiam prudenter constitutam, quæ has non facile admittit mutationes, & inter democratiam legibus & constantiæ fulcris destitutam, quam mutationibus obnoxiam esse, non inficiamur, sed hanc non intendimus, unde nec eam attendimus. (4) dupliciter aliquid dicitur imperfectum, vel *ἀπλῶς* seu *simpliciter*, vel *σχετικῶς* seu *respectu alterius*. Licet igitur Democratia imperfectior esse dicatur formis reliquis, non tamen propterea penitus est imperfecta. (5) *Keck. l. i.*

Syst. Pol. c. 3. p. 548. huic objectioni certo canone satisfecit. Si, inquit, naturam regiminis absolute & in se spectes, utiq; imperfectissimus Reip. status est Democratia, utpote, quæ à perfectissimo regimine, nempe à Monarchia longissime recedit, atq; ita ab unitate ad multitudinem quam maxime vergit: si verò spectes singulares circumstantias nonnullorum locorum, temporum & personarum, potest esse àgeròs, sive eligibilis, etiam hic status, sicut in rebus humanis plurima sunt eligibilia propter circumstantias, quæ tamen sua natura non sunt præstantia.

5. His dubiis resolutis nos affirmativam amplectimur sententiam, eamq; probamus (1) *ratione*. Nam divisio Reipubl. debet esse adæqvata, cum adæqvatio sit cujusvis bonæ divisionis proprietas. Adæqvata autem neutiquam foret, nisi hæc etiam adderetur species. Non enim tantum penes *unum*, aut penes *paucos*, sed etiam penes *omnes* potest esse summa Majestas, adeoq; Democratia vera erit forma regiminis, vera Reipubl. species. (2) *Experientia seu exemplis*. Non enim olim tantum variæ fuerunt Democratix tempore Aristotelis, Resp. nim. *Lacedæmoniorum, Atheniensium, Thebanorum &c.* sed & hodie non paucæ tales reperiuntur formæ. Unde *Besold. class. 1. disp. 7. tb. 28.* scribit: *Hæc eadem species hodie apud Rbetos, Uranos, Underwaldios, aliasq; nonnullas Helveticas Civitates vigere videtur &c.* (3) *autoritate*, tum Philosophi, qui *lib. IV. Polit. c. 4. seq. item lib. VI. c. 2. seq.* prolixè agit de Democratia: tum aliorum nobiliorum Politicorum, qui unanimi consensu hanc nostram Democratiam approbant.

6. II. *Essentiam*, quæ descriptione contientur. Est autem *Democratia Respublica*, in qua *summa potestas est penes universos*. Quod *Definitum* concernit, dicitur *Democratia* ratione *Etymologias* ἀπὸ τῆς δῆμος à *populo*, & *κρατέω* impero, quia *populare* notat *dominium*. Alio nomine dicitur *Græcis πολιτεία*, *Latinis Respublica*, nomine communi ad specialem statum applicato, quia olim tales *Rerūpubl. formæ* erant frequentissimæ. Item *status popularis*, *Imperium popolare*, *popularis Respublica*, *ισονομία* &c. De duabus posterioribus appellationibus notanda sunt verba *Patritii l. i. de Republ. tit. 4. Popularis Resp. est*, in qua res agitur ad imperium multitudinis, *cujus nutu leges describuntur, & magistratus omnes eliguntur, & quod pluribus videtur, id commune omnium esse judicatur.* Hanc apud *Herodotum* laudat *Otbanes* cum de instituenda *Persarum Republ.* agitur, eamq; etiam à nomine admiratione dignam censet. Dicitur enim *ισονομία*, quasi *juris æqualitas*, quando in *Republ.* in qua multitudo dominatur, æquo inter omnes jure omnia administranda sunt: jubetq; ut in ea *Magistratus* sorte ducantur, qui *gestorum omnium rationem reddant*: vultq; ut omnia consilia in commune referantur. *Hujus finis est libertas*. Nihil enim magis cupit *popularis multitudo*, quam potestatem vivendi habere, ut velit, quam quidem libertatem *Cicero* esse affirmat. *Parad. 7.* Deniq; quoad *homonymiam* notandum est vocem *Democratia* non unam sortiri acceptionem. Sumitur enim vel *generaliter*, pro ea forma *Reipubl.* quæ *Monarchia* & *Oligarchia* contradistinguitur, & *popularem statum* exprimere dicitur: Et hæc significatio est h. l. Vel *specialiter* pro statu populari corrupto, quatenus à *Politia* distinguitur, de quo postea.

Prior:

Prior significatio est *Platonica*, posterior *Aristote-
lica*, unde *B. Dn. D. Jac. Martin. l. 2. Pol. c. 15. p.
554.* scribit: *Aristoteles quidem vocem, Democratia,
fere semper accipit in malam partem, pro statu nim. cor-
rupto, quandoquidem eam contra πολιτείαν sive Rem-
publ. in specie dictam, contradistinguit, eamq; dicit, quæ
solam plebem in solio constituit, ideoq; non potest non
vitiosa esse, cum plane ἀδύνατον sit, in plebe reperi-
ri prudentiam & virtutes ad regnandum necessarias.
Atq; hæcenus vera est sententia Philosophi & optime
potest probari. Plato v. in *Polit. Democratiam in gene-
re accipit, tam pro bono, quam pro corrupto statu, o-
mnemq; multitudinis potestatem Democratiam appelli-
tat. Sequitur hanc Plutarchus & Apulejus.* Plura vid. d. l.*

8. Rem ipsam quod attinet, constat descriptio
partim genere, partim differentia. Genus est *Respublica.*
Quod enim *Democratia* hæc generalis sit *Respubli-
ca*, patet (1) ex *Reipubl. definitione*: quia est *ordo Civi-
tatis & quidem magistratum quorumcunq; maxime v.
potestatis supreme, à qua per intermedios magistratus in
universos subditos fluit gubernatio.* Cuicunq; autem
competit definitio, eidem definitum denegari nec
debet, nec potest, ut ex *scholis Logicorum* est aper-
tum. (2) *Ex Reipubl. constitutione.* Constituitur illa,
quoad materiale ex *societatibus tam simplicibus, nu-
ptiali, herili & paternâ, quam compositis, familiis &
pagis, alijsq; ad commodè in civitate vitam agendâ
necessariis rebus: & suo non carent hæc omnia for-
mali; pulcherrime enim secundum politicam pru-
dentiam ad unum totum constituendum hæc omnia
sunt ordinata.* Nos si *Democratiam* considerare
volumus, hæc omnia in eadem deprehendimus. Po-
sito

sito autem materiali & dato in eo formali, constituitur res ipsa. Unde Rempublicā esse Democratiam nō facile quisquam negare poterit. (3) *Ex partium conditione.* In Republica sunt partes *principales & instrumentales.* *Principales* vocantur tum *Imperantes*, quæ dominium suscipiunt, tum *Parentes*, quæ obediunt. *Ille* summæ Majestatis exprimuntur nomine, *he* vero subditorū continentur appellatione. *Instrumentales* partes sunt *Officiales & Leges.* Omnes hæc partes sive principales, sive minus principales respicias, in Democratia reperire poteris. Ex partium autem integrantium identitate rerum ipsarum convenientiam colligere solemus. Huc (4) accedit ipsa rerū & assertionum Politicarum *Magistra experientia*, quæ idem comprobare videtur. Nec (5) *consensus Politicorum* nobis est contrarius, unde Democratiam Rempublicam esse iterum pronunciamus.

9. Illud præterea videtur restare, cum non omnia prædicata sint generica, utrum *Respublica Democratia* genus esse possit? Verum neq; hæc thesis à veritatis tramite recedit, sed verissima in Politica prudentia argumenta & fundamenta suscipit. Nam (1) hoc confirmat *generis natura*, cum Genus nihil aliud sit, quam Synonymum, quod de suis speciebus in quid prædicatur. At Respublica dicitur de Democratia, ceu specie sua, in quid: quis igitur Rempublicam pro genere in nostra descriptione non agnosceret? (2) *Generis status est incompletus*, habetq; se instar potentia, ut per differentiam, ceu actum suum perficiatur. Respublica etiam hanc potentia æmulatur naturam, & ut per differentias certas contrahatur, suo quodam jure expectat. (3) Forma specialis sub for-

B

ma

ma generali tanquam sub genere continetur. Jam
 Democratia est forma specialis Respublica autem
 forma generalis, jure igitur illa ad hanc tanquam ad
 genus, reducitur. (4) Si Conspecies hic comparatio-
 ne aliqua introducimus, & quod jure de illis dicitur,
 etiam de Democratia præcipimus, in nullo hic de-
 linquimus. Cum igitur Monarchia & Oligarchia sint
 Reipublicæ species, etiam de Democratia non am-
 plius dubitamus. Licet enim contrarium videatur
 inferre nomen ipsum, cum Respublica bonum ali-
 quod commune, non singulorum inferat, Demo-
 cratia verò bonum magis singulorum, nim. totius
 populi, intendat; tamē dist. inter *finem* & *formam*. Nos
 hic de *forma*, nō de *fine* sumus solliciti. Et ipsum etiam
 Regnum, ut & Aristocratia bonum omnium h.e. pu-
 blicum respiciunt, licet non omnes æque summæ
 Majestatis sint participes. *Deinde* nec in recta De-
 mocratia bonum tam singulorum, quam omnium
 seu commune attendendum esse, politici asserunt.
 Aliud porrò est, omnes *ut singulos*, & aliud eosdem,
ut universos, considerare; *hoc*, non *illud* in Democra-
 tiæ forma legitima concedimus. *Deniq;* nec singuli in
 Democratia imperant, licet penes universos sit im-
 perii fundamentum.

10. *Differentiam* quod spectat, *Hænon. disp. 10. Po-
 lit. tb. 37. ex Bødino* reprehendit *Philosophum*, quod hic
 in Democratia differentia constituenda erraverit.
 Verum jure hoc ipsum fieri, non potest concedi. Hæc
 equidem scribit *Aristot. l. 3. Pol. c. 5. Est vero Tyrannis
 Monarchia civilis societatis, velut vera quidem & Do-
 mina: Oligarchia autem, cum locupletes reipubl. Domini
 sunt: & Democratia contra, quando non locupletes, sed
 inopes*

inopes & regentes imperant. Verum Resp. (1) quod sit fall. equivoc. cum *Democratia* vox in sensu Aristotelico non sumatur *generaliter*, pro omni regimine populari, sed *specialiter* pro statu corrupto, ut ipse suam explicat mentem d. l. παρεμβάσεις δὲ τῶν εἰρημένων, τυραννὶς μὲν βασιλείας, ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας, δημοκρατία δὲ πολιτείας. Unde etiam *Democratiam* hanc in verbis allegatis cum Tyrannide & Oligarchia, Aristocratia opposita, conjungit. (2) *Aristoteles* non absolute loquitur, sed *comparative*: confert enim Oligarchiam cum *Democratia*, adeoque unicuique peculiare aliquod, & quod sæpius contingat, κριτήριον adscribere voluit. De Oligarchia igitur pronunciat, quod in ea divites domini sint, de *Democratia* vero quod non tam divites, quam pauperum imperium hanc ab illa distinguat, eique magis proprium sit, quæ admodum alibi sæpius talem comparisonem instituit. (3) Non *exclusive*, sed *inclusive* verba *Aristotelis* sunt intelligenda, ita ut potissimum ad libertatem & æqualitatem instituat respectus, ut lib. 4. c. 4. suam explicat mentem: *Nec vero Democratia, quemadmodum quibusdam videri solet, ita nobis nude simpliciter definienda est, ut ea sit, ubi multitudo dominatur & imperat.* In Oligarchijs enim & in ceteris rebus publ. major pars dominatur. Enimvero si proposita civitatis populus universus mille & trecentos cives efficiat, ex eorum numero mille divites soli magistratus obtineant, ac reliquis trecentis pauperibus quidem, sed liberis, & cetera licet omnia similibus, ad honores aditum denegent, nemo dixerit hoc *Democraticè* gubernari. Et paulo post: *Propterea sane statuendum est, nec tum quidem cum pauci liberi, multis non liberis imperent, Democratiam esse, ut Apollonia, quæ*

est in littore mars jonij & Thera: in quâ utraq; civitate pauci, qui inter multos nobilitate præstarent, quiq; primi in illas colonias venissent, magistratus obtinebant; nec item, si divites præsent, quia munero ac multitudine superent, Democratia putanda est, ut quondam Colophone. Illic enim multi ante bellum Lydium magnas & amplas facultates habebant, sed tum demum Democratia quidem censenda est, cum liberi & pauperes multi, Oligarchia v. cum divites & Nobiliores pauci Rempubl. gubernant.

II. Neq; hæc sententia Aristotelis Democratiaæ fundamento est contraria, sed ex hoc ipso firmiter derivatur & confirmatur. Aequalitas enim potissimum est Democratiaæ fundamentum. Ubi autem nobilitas & divitiæ supremum sortiuntur fastigium, vel nulla, vel non stabilis in Republ. datur æqualitas. Sed ubi pauperes & ignobiles dominio præsent, ibi tantum honoris gradu & imperio ipsis tribuitur, quantum nobilitatis & divitiarum iisdem deesse, reliquis verò nobilibus & divitibus adesse videtur, ut hac ratione, quoad fieri poterit, Civium æqualitas in Democratia servetur. Nam si nobilibus & divitibus vel solis, vel plerumq; concederentur magistratus, pauperibus & ignobilibus nihil reliquum foret, quod ad æqualitatis normam cum Nobilibus & Divitibus Magistratibus servandam eos exaltare posset. Unde hoc denuo lib. VI. Polit. c. 2. indicare voluit Philosophus: *Præterea, inquit, cum Oligarchia & generis nobilitate & opulentia & ingenua disciplina definiatur: Democratica videntur esse ea, quæ illis sunt contraria, generis obscuritas, inopia, sordida & illiberalia officia.* Hoc scilicet est, quod quasi peculiare & proprium est Democratijs, ut nimirum à reliquis Rerumpublicarum formis non obscure distingvantur.

12. Nec

12. Nec est, quod quis dicat, nos errorem *Philosophi* hic approbare, & cum eodem statuere, essentialē divisionem Rerūpubl. non à numero imperantiū, sed ab egestate & divitiis esse petendam. *Verum Resp.* (1) Philosopho in l. d. non esse sermonem de generali, multo minus de essentiali Rerūpublicarum divisione, sed agit de Oligarchiæ specialis & Democratiæ specialiter sic dictæ discrimine. (2) Certum est dari varias Rerūpubl. differentias: modo distinguuntur *quoad imperantium numerum*, ut alia dicatur *Monarchica*, alia *Oligarchica*, alia *Democratica*: modo differunt *quoad imperantium statum*, ubi alij sunt nobiles, alij ignobiles, alii sunt divites, alii pauperes, alii eruditi, alii illiterati &c. modo dividuntur *quoad imperantium scopum*, quia alii publicam, alii privatam, alii utramve, diverso tamen respectu, intendunt utilitatē. Hæ & aliæ rerūpubl. differentia inter se non sunt confundendæ, nos hic nec primam, nec ultimā, sed mediam cū Philosopho attendimus. (3) Falsum est, ex nostra Aristotelis defensione sequi, hanc divisionem esse essentialē, in qua egestatis & divitiarum fit mentio: tum *quia* dicta hæcenus potissimum concernunt vitiosam Oligarchiam & Democratiā in sensu Aristotelico: tū *quia* egestas & divitiæ sunt accidentia personarū, non v. propria officii: tum *quia* essentialis divisio potissimū à forma deducitur, non vero dependet ab extrinsecis ejusmodi adjunctis, qualia sunt egestas, & divitiæ, nobilitas &c. (4) Philosophum verò in hac sententia non fuisse, quod egestas & divitiæ essentialē divisionem Rerūpubl. constituent, non obscure probari posset, cum semper potius ad personas, quam ad officia Philosophus respiciat, ut ex constanti locorum collatione patescit.

Vid. B. Dn. D. Jac. Martin. lib. 2. Polit. c. 2. p. 324. Adm.
Rev. Dn. D. Wendeler Pract. Phil. Sect. 1. Polit. c. 3. quæst. 2.

13. *Differentia* nostra constat (1) *Objecto*. Hoc no-
mine *Potestatis* exprimitur. Cum enim nullum Im-
perium sine potestate consistere possit, in Democra-
tico imperio *Potestas* hæc etiam maxime necessaria.
Deinde si ipsam constitutionē Democratix examina-
mus, constituitur illa personis imperantibus & pa-
rentibus, ex utrisq; Potestatis præsentia colligitur. Nā
quod in imperantibus sit potestas, patet ex eo, quia
aliàs imperare haut possent. Parentibus etiam adesse
potestatem, inde fit clarum, quia propter hanc solam
superioribus subjiciuntur.

14. (2) *Proprio*. Et sic non quælibet potestas in Re-
publ. Democratica attenditur, sed etiam *Summa* in
eadem reperitur. *Nam* Republ. Democratica etiam
est *ordo*: In omni a. ordine tandē ad summum aliquod
seu primum fit accessus. Et *præterea* Democratia to-
ta est Respublica, nec ad aliam quandā ordinatur, cū
hoc partium Reipubl. proprium sit, ad aliam instar
partis referri. Tota a. non foret, nisi summæ potesta-
tis esse capax. Unde Aristoteles τὸ κύριον τῆς πόλεως sæ-
pius etiam statui Democratico adscribit.

15. (3) *Subjecto*: quod nim. summa potestas sit *Pe-
nes universos*. Patet hoc (1) *ex appellatione*. Δῆμιον
significat *populum*: Populus a. omnes cives comple-
ctitur, sive sint primarij, sive secundarij. Si igitur pe-
nes populum est summa potestas, sequitur, quod pe-
nes universos reperiat. (2) *Ex proprietate*. Maxima
n. proprietas Democratix est Aequalitas, ut omnes
in hoc Reipubl. statu sint æquales: hinc etiam vo-
catur *ισονομία*, quod omnibus idem sit status, eadem
lex in Democratia; item *ισομοιρία*, ubi omnibus æqua-
lis

lis datur portio, honorum sc. dignitatum, Magistratum, aut ad minimum omnibus ad dignitates æqualis patet aditus. (3) *ex inductione*. Aut n. summa potestas est penes unum, aut penes uno plures. Illud proprium est Monarchiæ, non potest igitur convenire Democratia, unde manet posterius. In hoc tamen iterum occurrit differentia. Si n. penes uno plures est summa potestas, sequitur, quod vel apud paucos, vel apud universos reperiatur. *Prius* in Oligarchia locu habere, præced. disput. probatum fuit: *posterius* igitur solum Democratia relinquitur, & hoc respectu à prioribus distinguitur.

16. Hoc tamen præterea hic loci notandum est, quod vox *universi* dupliciter considerari possit, vel *materialiter* seu *sigillatim*, vel *formaliter* seu *universim*. *Priori* modo *distributive* accipitur, adeoq; si hoc loco ista acceptio valeret, non tantum penes populū, sed etiam penes singulos populi foret summa potestas, & sic periret Respublica, imperantium & parentium conjunctio caderet, & nulli in tali republ. forent subditi, si singuli essent Magistratus ipsi. Verum cum hæc politicè sint absurda, nos singulis talem potestatem non tribuimus. *Posteriori* modo *collective* sumitur vox universi, citra distributivæ subsumptionis respectum, adeoq; totus populus pro uno stat capite, & principis loco juriū Majestatis potestatem habet. Et hoc est, quod Keckerm. l. 2. Pol. c. 3. can. 2. p. 549. scribit: *Populus universus hujus status representat naturam Monarchiæ sive regni, sive summi Magistratus, cujus arbitrio jura Majestatis administrantur à deputatis illis, qui populum representant, & omnia consensu & jussu populi agunt: vices v. optimatum & ephorum in hoc statu tenent*
pre-

praefecti collegiorum, tribunum, centuriarum, aut classium,
a populo delecti.

17. Ex dictis colligitur (1) *In Democratia summam Majestatem esse indivisam.* Hoc probatur tum *ex Democratia natura*, quia est simplex Respublica. Ubi-
cunq; a. Respublica simplex est, ibi etiam datur sum-
ma Majestas indivisim, ut patet *ex ipsa descriptione*
simplicis Reipubl. Simplex Respublica est in qua summa
potestas est penes unum, vel uno plures indivisim. Tum *ex*
subjecto, quia penes populū est summa potestas, non
quatenus continet singulos, hi n. ut de jure non pos-
sunt, ita de facto non debent sibi tantam potestatem
arrogare, & propria autoritate Majestatis jura usur-
pare. Tum *ex autoritate.* Aristot. l. 4. Pol. c. 4. n. 31. Μόναρχο
ἢ ὁ δῆμος γίνεται, σύνθετο εἰς ἓκ πολλῶν. Οἱ γὰρ
πολλοὶ κύριοι εἰσιν, ἕκαστος ὡς ἕκαστος, ἀλλὰ πάντες. *Adm.*
Rev. Dn. D. Wendel. d. l. c. 4. p. 567. Residet (in Democra-
tia) summa potestas penes omnes indivisim. Ut enim in
Oligarchia summa potestas est penes paucos indivisim; ita
etiam in Democratia. Nam utraq; simplex est Respublica.
Proinde omnes, quatenus conjunctim sumuntur, imperan-
tes sunt, ac imperantes, per quos imperant, constituunt;
quatenus verò seorsim considerantur & ut singuli, subditi
sunt, illisq; quibus jura summae potestatis à populo oblata
sunt, obedire tenentur.

18. (2) *Omnes Magistratus à populo in Democratia esse*
constituendos. Probatur hoc (1) *ex Magistratum de-*
pendentia. Magistratus n. dependent à Majestate. Pe-
nes quem igitur est summa Majestas, ille constituit
Magistratus: At penes populum est summa Maje-
stas: Ergo populus constituit Magistratus. (2) *ex De-*
mocratia natura. Democratia n. nihil aliud est, quam
popula-

populare imperium. Aut igitur populus immediate imperat, aut mediate, mediantibus scil. Magistratibus. At prius dici non potest, cum totus populus immediate non possit imperium administrare: manet igitur, quod mediantibus Magistratibus hoc faciat, & sic Magistratus nihil erunt, quam media seu instrumenta populi, quibus in iurium Majestatis exercitio utitur: media autem à causa sua principali sunt assumenda & constituenda. (3) *ex Magistratus potentia.* Hæc enim non est absoluta, sed respectiva. Omne a. respectivum respicit aliud se prius: in Democratia igitur cum nihil prius, nihil superius sit populi auctoritate, ideo merito eam respiciunt, & ad ejus nutum potentia exercitium instituunt. Nec perpetui solent esse Magistratus ἀνωκερατῆρες, sed modo hos, modo alios populus ordinare vult & potest, ne nimium crescat unius vel alterius potentia. Et quod maximum est, potentia Magistratum Democraticorum legibus non est soluta, sed ad leges maximè restricta. Has a. leges populus ordinat & dicitat, unde cum nemo leges de jure in Democratia ordinet præter populum, nemo itidem præter populum legis ministros, h. e. Magistratus, constituere debet.

19. Et hoc est, quod non incommode monet *Bellar. lib. 5. de Pontif. Rom. c. 6.* ubi quatuor in omni populari gubernatione esse necessaria scribit: (1) *Ubi est populare regimen, magistratus ab ipsa plebe constituuntur atq; ab eadem auctoritatem sumunt. Cum n. plebs per se ad jus dicendum sedere non possit, debet saltem alios constituere, qui nomine suo id facient.* Quocirca *M. Tullius* initio 2. *Aggrar. Consulatum*, qui summus erat in *Republ. Romana* magistratus, populi beneficium vocat: & ibidem dicit,

C

con-

consuevisse creari consules ad suffragia populi. (2) Ubi est
 populare regimen, appellatur à sententia magistratus in
 rebus gravioribus ad iudicium populi. Id consuetum fuisse
 in Republ. Romana testatur Liv. l. 2. § 4. quod idem de
 Republ. Atheniensium docet Plutarch. in Solon. (3) Leges,
 quibus Resp. gubernanda est, à Magistratu quidem propo-
 nuntur, sed à populo iubentur, ut constat ex Livio l. 3. Cic. de
 leg. Manil. § Agrar. (4) Accusari solent Magistratus
 apud populum, nec non dignitate privari, & in exilium de-
 portari, vel etiam morte multari, si ita populo videatur.
 Vid. Liv. l. 2. Item Plutarch. Nepos de Imperatoribus A-
 then. Lacedæm. &c.

20. (3) Leges in Democratia magis esse necessarias,
 quam in ulla alia Reipubl. forma. Licet n. in qualibet
 Republ. leges sint civilis societatis vincula, tamen
 hic propter maiorem utilitatem maiorem requirunt
 necessitatem (1) propter Democratia fundamentum,
 quod est civium æqualitas. Hæc n. melius servari non
 potest, quam per leges. Hæc n. magis æqualitatem cu-
 stodire videntur, quam ullæ personæ. (2) propter pro-
 prium, quod est libertas. Cum n. omnes sint liberi in
 Civitate Democratica, facilius legibus dant omnes,
 & præstant his lubētius obedientiam, quam homini-
 bus. Neq; libertati leges deesse, sed potius prodesse
 videntur, cum è contra homines facile fiant suspecti,
 quasi libertati Democratia sint contrarii. (3) propter
 ipsum populum. Cum n. penes hunc summa resideat
 majestas, non potest melius ipsius voluntati satisfac-
 ri, quam si totius Reipubl. administratio ex præscri-
 ptis & à se constitutis legibus suscipiatur. (4) propter
 Magistratum. Hic n. cum Reipubl. sit non Domi-
 nus, sed minister, & populi non tam caput, quàm in-
 strumen-

strumentum, ex præscripto ut agat, necessum est, cum
omne instrumentum ex causæ principalis directio-
ne agat. Præscripta autem, populi jussu, leges ipsi sunt.
Nec faciliori via Magistratus Democraticus omnem
potest suspicionem & persecutionem effugere, quam
si ex præscripto legum vivat, & secundum populi jus-
sa regat. (5) *propter subditos.* Hi enim propter Demo-
cratiæ statum & δημοκρατικῶν ἀξιοκρατικῶν æqualitatem se pares,
aut interdum superiores ipso Magistratu judicant,
non igitur ex Magistratus voto, sed ex suarum legum
præscripto vivere volunt. (6) *Propter administratio-
nis Democraticæ singularem modum.* Nam in reliquis
Rerum publ. formis penes eosdem ipsa Majestas est, &
jurium Majestatis exercitium. Nam Monarcha Do-
minus est, penes quem solum est majestas, & domi-
natur ipso facto, unde leges adeo necessariae non
sunt: In Oligarchia penes paucos est summæ Maje-
statis status & usus, adeoq; & illi non tantâ necessitate
legibus obediunt: Sed in Democratia penes alium
Majestatis est status, penes alium usus & exercitium.
Populus est Majestatis subjectum, & jura verè ejus
exercet per Magistratum, unde valet illud *Livij: Sena-
tus decrevit, populus jussit.* Et propter hanc causam,
quo populo satisfiat, nec Magistratus in ejus suspicio-
nem & odium incidat, legibus in Democratia appri-
mè opusest.

21. (4) *Modus administrandi Democraticus cum Re-
publica mixta non est confundendus.* Trita est Politi-
corum, nec minus antiqva distinctio, inter Reipubli-
cæ statum & administrandi modum, inter jus Maje-
statis & ejusdem usum, seu ut Philosophi aliàs lo-
quuntur, inter actum primum & secundum. Sæpius

in Rebus publ. status Imperii ab administrandi modo est distinctissimus. *Bodinus* eqvidem l. 2. de Republ. c. 1. videtur sibi hujus distinctionis inventionem & laudem tribuere, dum dicit, distinctionem inter statum ipsum & rationem administrandi, quæ maxime sit necessaria, neminem advertisse: verum non adeo nova est hæc distinctio, nec Gallum habet autorem: tempore *Aristotelis* in Græcia fuit in usu, ergo non ex Gallia trahit originem. Ita n. scribit *Arist.* l. 4. c. 5. *Non est ignorandum, sæpius accidere, rempubl. quæ legibus Democratica non fuerit, vitæ & moribus Democraticè regi. Itemq; aliàs, quæ legibus magis Democratica sit, genere vitæ & consuetudine potius Oligarchicè gubernari.* Ubi notutu dignis verbis dicit, hoc non esse ignorandum, quod sæpius Respubl. quoad statum & leges fundamentales, h. e. quoad naturam suam, sit alia ab ipsa praxi, vitâ & consuetudine, h. e. ab externo modo administrandi. Et hoc cum primis fit in Democratia, cū n. penes omnes sit Majestas, & cum majestate imperium, omnes autem imperare nequeant, necessitas ipsa postulat, ut certis quibusdam delectis actus & usus imperii, ex nutu tamen omnium, committatur.

22. Quod a. hic modus administrandi non Rempubl. aliquam mixtam constituat, probatur (1) *Ex philosophorum regula: Modus rem non variat:* cum igitur hic administrandi modus verus sit modus, Rempublicam ipsam neutiqvam mutat, & novam pro pristina speciem introducit. (2) *Ex modorum ejusmodi natura.* Nec actu variant, nec possunt variare essentiam. Modus n. fluit ex essentia; quicquid a. ex essentia fluit, ita suam inde habet originem, ut essentiam non destruat, sed potius debita sua modalitate perficiat.

ciat. Unde Modus essentiæ non est opponendus, sed hæc potius illi præsupponenda. *Accedit hæc, quod* modus certam ad essentiã importet relationem, & nihil aliud sit, quam rei modus, ita quidem, ut sublata re ipsa modus nec *possit, nec debeat* existere; non *illud*, quia hæc illius principium & fundamentum, neque *hoc*, quia penitus esset frustraneus. (3) *ex Mixture Reipubl. Materia.* Non n. modi reipublicam mixtam constituunt, sed species simplices inter se permixtæ talem politicam mixturem absolvunt. Nec variatio actuû administrationis ipsam essentiã vel tollere, vel ex simplici mixtam efficere potest. Unius naturæ diversissimæ possunt esse operationes, unius reipubl. maximæ variabiles administrationes, nec tamen hic alia fit natura, nec alia infertur Respublica. (4) *ab absurdis.* Sequeretur enim (a) modos novas constituere species, (b) formas rerumpubl. in infinitum posse multiplicari, quia administrationis nulla certa est regula, sed modo hoc, modo alio statu introducitur; (c) unam eandemque reipubl. quotidianis mutationibus esse obnoxiam, iisque non accidentalibus tantum, sed etiam essentialibus. (d) negato actu secundo actum primum esse negandum (e) administrationem superiorem esse ipsa constitutione; & hanc ab illâ dependere (f) nullam dari simplicem rerumpubl. formam: quia nulla datur, in qua non vel sit, vel ad minimum esse possit administrationis modus ab ipso statu distinctus &c.

23. (5) Arcana Reipublicæ Democraticæ non esse negligenda. Varia a. sunt in hoc statu arcana, (1) *Nobiles & præstantes viros coercere*, ut ostendit Philosophus l. 3. Pol. c. 9. *Viros præstantes tollendos esse non solum Tyranno est*

no est utile, nec enim Tyranni soli hoc faciunt, sed in Oligarchia & Democratia id ipsum eodem modo factitatur. Atque Ostracismus eandem propemodum vim habet, cum praestantes viros coerceat, eosdemque in exilium mittat. Idemque ipsum adversus civitates & nationes ij faciunt, qui rerum potiuntur, ut Athenienses in Samios & Chios & Lesbios, simul atque cum confirmatum imperium habuerunt, eos contra fœdera fregerunt atque oppresserunt. Cum enim potentiores facile occasionem arripiant, ut plebem totamque civitatem sibi subjiciant, melius est praevenire, quam praeveniri. Exempla n. testantur sæpius ejusmodi potentiores in Democratijs potius suam, quam populi utilitatem quæsisisse, & postea occasione data tyrannidem introduxisse.

24. (2) *Ex omnibus ordinibus Magistratus eligere.* Cum n. quilibet suum magnificat ordinem, ejusque quærat autoritatem, nihil unquam admittet, nisi quod ordini suo conducatur, ejusque autoritatem stabiliat. Hoc a. quod de Magistratibus diximus, tam de Senatoribus, quam de reliquis Magistratibus intelligimus. Explicat hoc Aristot. l. 6. pol. c. 2. *Hæc Democratia jura atque leges erunt, omnes cives ex omnibus magistratum legere, universos cives singulis civibus, singulosque vicissim universis imperare. Magistratus omnes, aut certe qui peritiam aut artem non requirerent, sortitione creare. Magistratus nullo aut certe nimine censu mandare. Nullum Magistratum, aut raro, aut paucos, bellis exceptis, idem bis gerere. Magistratus aut omnes, aut certe qui brevi tempore desiniri poterunt, exigui temporis esse. Omnes cives atque omnium ordinum de omnibus rebus, aut certe de plurimis & maximis & gravissimis judicant, ut de repetundis, de republica, de privatis pactis & conventis.*

ventis. Summa rerum omnium potestas penes uniuersum
populum esto, penes Magistratum nulla, aut majorum &
graviorum rerum penes populum, minorum & leuiorum
penes magistratum. Hæc ille: ubi plerorumque ar-
canorum breue nobis proposuit compendium.

25. Alii Politici etiam alia solent suppeditare stra-
tagemata. (3) Ut Democratico statui fauentes in Magi-
stratum eligantur. (4) Ne dignitates & Magistratus
honores vel uni, vel solis Patritiis concedantur. (5) Ut li-
beram linguam tam in accusationibus, quam in defensio-
nibus conseruent. (6) Ne cives externa admirentur, exter-
nisq; principibus suis adulationibus adhareant. (7) Nec in-
testina bella unquam admittant, cum bella vix, nisi impe-
rio ad unum delato, componi alia ratione queant (8) Jus
etiam bellum gerendi & officia distribuendi penes
populum resideat. (9) Summus imperator potius (si
talis idoneis requisitis instructus inveniri queat) po-
tius ex inferioris, quam ex potentioris fortis homini-
bus eligatur: quemadmodum id olim Genuenses ob-
seruarunt, qui teste Com. lib. 8. c. 15. nullum nisi ple-
beium in ducem elegerunt. Talia & alia plura strata-
gemata sunt attendenda, si popularem statum inte-
grum conseruare velimus.

26. Hic Politici & illam solent explicare quæstio-
nem: Num in Democratico statu præstet habere perpe-
tuos, quam temporaneos magistratus? Prius qui affir-
mant, urgent (1) illud πολυθρήνητον: Omnis mutatio est
periculosa: & quo objectum, in quo fit mutatio, est
nobilius, eò etiam periculum videtur esse grauius. Et
ut hoc verum est in qualibet Republica, ita vel maxi-
me in Democratia. Plebs n. prudentia destituta non
potest mutationibus quibuscunq; dare medium &
reme-

remedium, sed facilis in his datur vel excessus, vel defectus. (2) *Deinde* cum arduum sit Magistratus officium, levitatis videtur innuere suspicionē, qui sæpius in arduis his rebus mutationem velit admittere. (3) *Ipsè Democratia status* contrarium videtur inferre. Cum n. cuilibet civium ad Magistratus dignitates pateat aditus, summa verò ad hæc publica officia requiratur prudentia, cum præsentissimo periculo frequens Magistratus mutatio esset conjuncta, cum certum sit, non quoslibet homines plebeios prudentia esse instructos: unde hac ratione contingeret, ut prius aliquis ex Magistratus officio decederet, quam ejus insigne aliquod specimen edere posset. (4) *Nec* illud hic omittendum est, quod Magistratus debeat esse autoritate armatus. Autoritate a. publica destituitur, qui brevi fuit, iterumque brevi futurus est privatus. Facile n. in contemptum subditorum incurrit. Autoritati a. publicæ nihil, præter contemptum, magis nocere potest. (5) *Quia* in rebus politicis & publicis magna opus est experientia, quæ nec uno die, nec uno anno acquiritur, sed vel totam hominis vitam postulare videtur. (6) Subditis hac ratione melius consulitur, cum Magistratus in splendore vivere necessum habeant. Ne igitur tot fiant exactiones, præstat habere perpetuos, quam temporaneos Magistratus. Unde *Tiberius Imperator* querelis amicorum, quod Magistratus officia fecisset perpetua, prudentissimum hoc dedit responsum: *Hirundines, quæ multo sanguine hausto rumpuntur, quiescere; recentium vero morsus acerrimos esse: Sic novos Magistratus, quicquid sanguinis est & medullarum, avidissime haurire secundum illud proverbium: Non parcit populum regnum breve.*

27. *Posterioris partis defensores non prægnantibus*
destituuntur rationibus (1) *Ex Democratia natura*: quia
est populare imperium: unde cum simul imperare
nequeant omnes, ita administratio regiminis est in-
stituenda, ut unus post alium fiat Dominus, hoc est,
cum simultaneum dominium civibus sit impossi-
bile, ne ulla locum habeat quærela, nec ulla suscipio,
aut alia graviora mala surgant, successivum institua-
tur. (2) *Ex Democratia fundamento*, quod est æqualitas.
Hæc autem æqualitas verbalis saltem est, si uni aut
paucis tantum conferatur perpetui imperii dignitas,
reliquis semper in inferioribus sedibus permanenti-
bus. Ut igitur vera sit, perspicua & non tam in verbis,
quam in ipsa re consistens æqualitas, ambulatoria sit
imperii dignitas & conferatur successive omnibus,
non v. uni, ceu peculium, adscribatur. (3) *Ex Democra-
tia proprio*. Proprium hoc est *libertas*. Libertas a. hæc
non consistit tantum in vita domestica, sed etiam in
conversazione publica. Nec liber ulli ad Magistratus
fastigium est denegandus aditus, ne democratica li-
bertas quicquam capiat detrimenti. Unde magis pro-
pria ipsi est ambulatoria, quam perpetua Magistratus
dignitas. (4) *à multiplici utilitate*: Ambulatorius hic
Magistratus *utilis* ipsis *Imperantibus*, ne iniquius justo
rem agant, privatos supprimant, se suosque extollant,
quod cum perpetuitate Magistratus arctissime con-
iunctum est malum: è contra hoc timore non est o-
pus in ambulatoria dignitate. Hic n. valet lex illa na-
turæ: Quod tibi cras non vis fieri, alteri hodie ne
feceris. Et vicissim: Quod tibi post hæc fieri vis ab
aliis, illud hodie alteri etiam feceris. *Utilis* est præte-
rea *civibus*: Nulla n. res facilius & felicius civium

D

excitat

excitat animos, quam regiminis spes & honoris tanti dignitas. Ex hoc igitur optimi fiunt cives, & virtuti maximè student omnes, ut aliquando inter suos eminare, feliciter Magistratus gerere & pro suis meritis reipubl. prodesse possint. Deniq; *utilis est toti Reipubl.* Hæc n. plurimos hoc modo accipit reges, regumq; similes, ut omnes hujus dignitatis possint esse capaces. Si n. omnes virtutis sint studiosi, omnesq; ad futurum Magistratus aspirent gradum, non potest Respubl. non multum capere incrementi. (5) *Liberitas* primum est, medium & ultimum in Democratia. Hujus a. conservatio non caret difficultate, si perpetuos constituamus Dominos, facillimo a. negotio obtinetur, si ambulatoria sit dignitas.

28. Ut nostram de hac quæstione afferamus *Principia*, dicimus (1) rationes has, pro utraq; parte allatas, non esse universales & probabili saltem constare certitudine. (2) *Politicam* esse prudentiam, adeoq; in omnibus actionibus prudenter sese gerere. *Loca* igitur considerat, cum non omnia omnibus cōveniant locis. Alii n. magistratus remotioribus, alii præsentibus conveniunt locis. *Tempora* etiam sunt discernenda, cum nec omnia cuilibet tempori videantur esse utilia. *Nec populus* est negligendus, ad cujus nutum omnia sunt gerenda, prout is annuit, res est disponenda, prout verò abnuit, causa est deferenda, cum penes populum sit summa potestas & suprema majestas. Sic etiam *officia* secum afferunt diversitatem: alia sunt summa, alia inferiora: alia difficilia, alia facilia &c. Deniq; hic multum præstat *consuetudo*, quam ut in aliis curiosè observamus, ita nec hic eam facile dimittere debemus, ne subitanea magistratuū
muta-

mutatione primum ad mutationem Reipubl. lapidem ponamus.

29. Hæc de Definitione & consecrariis ex definitione derivatis, jam etiam (III) *proprietatum* consideratio est suscipienda. Quod *proprietates* concernit earum duas *absolutas*, duas pariter *comparativas* hic producimus. Absolutarum *prima* est *Aequalitas*. Per hanc a. *æqualitatem* non intelligimus æqualitatem *physicam*, quatenus omnes cives in humana conveniunt substantia. Hæc n. ad physicum spectat forū, nullum vero in Politica directè habet locum. Nec magnam dicitur retulisse mercedem mendicus, qui imperatorem, ceu æqualem est allocutus. Nec hic spectamus *mathematicam seu quantitativam æqualitatem*, qua rustici multi Imperatorem superare possunt. Neq; etiam æqualitatem directè hic respicimus *civitatis aut civilis consociationis*, quæ materialis dici posset, qua omnes vivunt in communi civitatis loco, sive superioris sint dignitatis, sive inferioris cujusdam ordinis. Sed h. l. *æqualitatem*, quæ propria est Democratia, eamq; à reliquis Rerum publicarum formis separat, acceptam volumus, *æqualitatem sc: juris, dignitatis, privilegiorū &c.* ita ut omnes cives in Democratia de jure sint æquales, nec ullus, quatenus talis, alteri sit superior. Et hanc æqualitatem nobis ostendit ipse *Aristot. l. 6. Polit. c. 2. circa fin.* Atq; hæc sunt *Democratia communes leges*, eaq; ex illo jure, quod omnium consensu *Democraticum est, profecta: illa siquidem tam demum verissima Democratia est, cum omnes eam numeri æqualitatem obtinent.* *Æquale n. jus est, cum divitum non major est, quam pauperum potestas, neq; alteri soli præsumt, sed illo æquato numeri jure omnes imperant.* Hæc n. ratione in Republica &

aequalitatem & libertatem futuram existimant.

30. Altera proprietatum est *Libertas*. Hanc item non tam nostris, quam ipsis Philosophi verbis explicabimus ex l. 8. Pol. c. 2. ab initio: *Primum a. in Democratia summumq; propositum est, Libertas*. Sic n. vulgo dici solet, tanquam in hac sola politica cives libertatis sunt participes, ad eum nempe, tanquam sibi designatum scopum omnem, ajunt, Democratiam spectare & contendere. Libertatis a. unum signum est vicissim parere & imperare. Etenim Democraticum jus in eo positum est, ut omnes par & aequale numero, non dignitate habeant: quo jure posito & probato, necesse est populi summam potestatem esse, quodq; major populi pars decreverit, id summa autoritate probari ac justum constitui. Ajunt n. singulis civibus eodem pariq; jure vivendum esse, quae causa est, ut inopes (quoniam numero vincunt) majorem in Republ. potestatem, quam locupletes habeant. Id a. demum firmum & ratum est, quod pluribus visum probatumq; fuerit. Atq; hoc unum quidem libertatis signum est, quem sibi finem Democratici omnes suae reipubl. constituunt. Alterum v. est, si quemadmodum velit, ita vivat unusquisq;. Hoc enim libertatis opus ajunt esse proprium, quoniam: *servitus est, vivere ut nolis.*

31. In his verbis multa memoratu digna, ceu brevi quadam synopsi, complectitur *Aristoteles* (1) Non esse negandum in reliquis Rerum publ. formis etiam reperiri libertatem. Habet suam libertatem Regnum, Monarchica regiminis forma, habet pariter suam libertatem *Aristocratia*; in qua pauci imperio praesunt: nec hoc respectu quicquam Democratia teliquis adimit speciebus, imò hanc generalem, & omnibus formis communem libertatem nec Democratia denegare:
velli

vel possumus, vel debemus. (2) *Democraticam libertatem* in nulla reliquarum formarum inveniri; hæc n. propria est Democratia, & in hac sola attenditur, cum eam, ceu finem atq; scopum specialem, imò tanquam primum & summum propositum respiciat. Sublata n. libertate populi, Democratia consistere nequit. (3) Ut eò planius & plenius cuilibet de natura libertatis hujus constare possit, ostendit *naturam hujus libertatis*, & capita, in quibus consistit, recenset. *Primum* libertatis κριτήριον est τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν h. e. *mutuum imperium & obsequium*. Omnes simul nec possunt imperare, nec obedire, sed ἐν μέρει alii mutuum aliis præstant imperium & obsequium. *Secundum* libertatis privilegium est, τὸ ἴσον ἔχειν κατ' ἀριθμὸν, ἀλλὰ μὴ κατ' ἀξίαν, numerica, non axiomatica æqualitas, ut nim. æqualitas civium δημοκρατημένων non consistat in dignitate generis, eruditionis, potentiæ, divitiarū &c. sed solo æstimetur numero, nec ratio habeatur qualitatis, sed quantitatis, ut omnes ejusdem sint dignitatis & autoritatis, h. e. æquales. *Tertium* hujus libertatis punctum est, ipsum τὸ κύριον τῆς πολιτείας, seu jus Majestatis. Necessum a. est eum, penes quem est summa Majestas & summa potestas, summè esse liberum, cum nullus in rebus civilibus detur superior libertatis gradus. *Quartum* requisitum consistit in *plebiscitorum autoritate*, quia populo quod visum est, τέλος ἐστὶ καὶ δίκαιον: unde in Democratia scita plebis omnibus controversiis dant terminum, omnibus civilibus causis jus dicunt, vera igitur hic erit & firma libertas. Hæc & alia libertatis hujus capita satis sunt augusta, & uberius in toto citato capite exposita.

32. Inter *comparativas* proprietates numeramus priorem, *Dignitatem* seu *præstantiam*, unde disquiritur: *An Democratia reliquis sit præstantior?* Affirmativa multis nititur rationibus (1) *ab Etymologia*: Respublica secundum quosdam dicitur quasi *res populi*. Nulla autem præter Democratiam ita est *populi* Respublica, unde hæc reliquis videtur præferenda. Hic n. *populus* publica quærit, publica, nim. urbem, theatra, vias, ærarium, honores, opes, spolia, jura, præmia, leges &c. in communem usum convertit, iisque perfruendis summam voluptatem capit (2) *Ex Homonymia*. Aristoteles n. ipse Democratiam vocavit καὶ ἐξοχήν nomine πολιτείας, quem etiam alii secuti sunt præstantissimi politici, imo vocatur etiam adhuc hodie Respublica καὶ ἐξοχήν ejusmodi civitas, quæ est Democratica. (3) *Ex Synonymia*. Dicitur ἰσονομία, juris æqualitas. Quod vocabulum ratione sensus sui pulcherrimi tantam præ se fert eminentiam, ut vix quicquam possit dari eminentius. Imò ex hujus vocabuli proprietate colligitur, jus naturæ maximam habere convenientiam cum statu Democratico. Alio nomine dicitur ἰσομοιρία, quod itidem prærogativam Democratiæ videtur evincere. (4) *ab antiquitate*. (5) *ab æquitate* (6) *ab æqualitate* (7) *à libertate* (8) *à civilis societatis in Democratia firmitate* (9) *ab ejusdem cum natura hominis conformitate* (10) *à malorum bonorumque communitate* (11) *à justitia judiciorumque tum communitate tum æqualitate* (12) *ab exemplorum multitudine* &c.

33. Negativa sententia etiam prægnantibus confirmatur rationibus (1) *à vulgi imprudentia* (2) *ab ejusdem inconstantia* (3) *à vulgimalitia* (4) *à virtutum in regimi-*

regimine necessariorum absentia (5) quia Democratia
varius mutationibus est obnoxia (6) quia vulgus eruditos
& virtuosos odit & persequitur (7) quia non tam legibus
quam affectibus iudicat. (8) quia non tam regere potest,
quam regi debet (9) magis ex exemplis quam ex politicis
rationibus res aestimat &c. Plura vid. apud, Heider.
Pol. c. 6. p. 925. seq. Junium quaest. pol. part. 1. quaest. 4.
& alios.

34. Nos iterum dicimus, hanc quaestionem, nec
affirmativam, nec negativam sententiam respectu penitus
esse falsam: unde dupliciter potest illa quaestio consi-
derari: si enim *absolute* consideretur citra circum-
stantiarum respectum, dicimus hanc infimam esse
rerum publicarum speciem & reliquis nim. Monar-
chiae & Oligarchiae inferiorem: Si vero certus ha-
beatur respectus tum temporis, tum loci, tum po-
puli aut aliarum circumstantiarum, saepius Demo-
cratia utriq; est praefenda.

35. Altera proprietas consistit in collatione De-
mocratiae & reliquarum ad naturam Reipublicae: U-
trum nim. *Democratia Reipublicae natura sit convenien-
tior, quam Monarchia & Oligarchia?* Hic praemisso
tractationis statu, quod in genere & praecise quaestio
sit intelligenda, negativam eligimus. (1) *a simplicitate.*
Quae n. Respublica est simplicior, ea etiam ipsius na-
turae est convenientior. At utraq; Democratia est
simplicior, quia in Monarchia unus, in Oligarchia
pauci, in Democratia v. omnes sunt Majestatis sub-
jectum. (2) *ab archetypi conformitate.* Ea species magis
accedit ad naturam Reipublicae, quae archetypo est
similior. Archetypus autem imperii Politici nihil a-
liud est, quam imperium divinum, cum Magistratus
sint

sint DEI his in terris vicarii. Jam nemo negare potest, DEUM esse Monarcham, cum sit Ens Entium, à quo omnes homines habent originem, omnemq; dignitatem. Monarchia igitur Archetypo est similior, quam Democratia. Huic proxima est Oligarchia, ultima Democratia. (3) *ab ordinis perspicuitate*. Respublica n. sua natura est ordo civitatis. Magis a. perspicuus est hic ordo in reliquis, quam in Democratia. In Monarchia semper est Monarcha imperans, & subditi semper sunt parentes, nunquam a. hic ordo invertitur, ut Monarcha fiat subditus, & subditi fiant Imperantes: de jure nim. loquimur, non de facto, de statu integro, non v. de corrupto. Idem quoq; fit in Oligarchia. Sed in *Democratia* populus est alio respectu imperans, alio verò est subditus (4) *à forme & administrationis modi inæqualitate*. Nulla n. datur Respublica, in qua tanta sit inter formam ipsam & modum administrandi differentia, quantam Democratia admittit.

36. Nec tamen illud ex his colligi debet, Democratiam non esse veram Rerum publicarum speciem, Est vera species, & manet species, licet gradualis sit inter eam & conspecies differentia. Est enim Respublica Genus ἀφ' ἐνὸς πρὸς ἓν ab uno, ad unum, & non æqualiter dicitur de omnibus suis speciebus.

37. Proximum est *divisionem* Democratiaë explicare. *Aristoteles* quidem l. 4. *Polit. c. 5.* non tam species quam gradus diversos Democratiaë, quorū unus altero sit deterior, recenset, *Plato* v. unum tantum agnoscit Democratiaë gradum, qui *Aristoteli* est extremus & pessimus. Præterea l. 4. c. 5. quinque recenset gradus cap. vero 6. quatuor tantum, quorum locorum

rum

rum conciliatio legatur apud *Arnis. l. 2. de Rep. c. 5. sect. 2. B. Dn. D. Jacob. Mart. l. 2. Pol. c. 15. p. 566. seq.*

38. Nos hic receptam distinctionem explicamus, qua *Democratia* distinguitur in *bonam* seu *rectam*, & *malam* seu *corruptam*. Illa alio nomine dicitur *πολιτεία*, *Respublica* & *Democratia κατ' ἐξοχήν*, & describitur, quod sit *Democratia*, in qua *summa potestas est penes populum*, *bonum publicum spectantem*. Loco generis ponitur *Democratia* vox, non quasi verum sit genus, cum non sit divisio generis in species, sed quod sit commune quid, & *Politiae* & *Democratiae*. Hoc observat ipse *Aristot. l. 4. Polit. c. 3.* Duo esse rerum publicarum genera imprimis quidem existimantur. Quemadmodum ventos dicunt, alios quidem *Aquilonares*, alios *Australes*, ceteros omnes ab ijs ortos & effectos: Sic *Respubl.* esse duas, *Democratiam* & *Oligarchiam*. *Aristocratiam* siquidem *Oligarchiae* speciem, tanquam *Oligarchia* revera sit, & efficiunt, & *politiam*, quae communi nomine nominatur, *Democratiae* subjiciunt, quemadmodum in ventis *Zephyrum Boreae*, *Eurum Notbo*. Simile v. est in concentibus, quemadmodum ajunt, eorum enim genera duo faciunt, *Dorium* & *Phrygium*, ceterosque alios omnes modos partim *dorios*, partim *Phrygios* appellant. Hoc itaque pacto *Respublicas* dividendas esse maxime quidem existimant. At certe verius illud & elegantius partitionis genus erit, quod secuti sumus, ut *Respublicae* sint aliae bene constitutae, aliae sint earum labes & ruina. Atque illae quidem justae & laudabiles *Respublicae moderati* & *temperati concentus* similes habentur, contrariae a. h. *tyrannicae* & *oligarchicae durioribus* & *asperioribus*, *Democratiae v. remissioribus* & *dissolutioribus modis* comparentur.

E

39. Disse-

39. *Differentia* continet (1) *Objectum*, quod est *Potestas*. Ut enim nulla est Respublica sine potestate, ita etiam Politia nulla sine eadem reperitur. Cum n. ex libertate, quæ Politia propria est, facile sumant occasionem cives, ut sua abutantur libertate, eamq; ad pessima quæq; facta applicent, hic potestate est opus, ut talis abusus coerceatur, & vera æqualitas atq; libertas laudabilis conservetur.

40. (2) *Proprium*: quod hic sit *Summa* potestas. Est enim integra, quam hic producimus, Respublica ipsa Politia, unde non tantum in ea reperitur aliquid infimum, aliquid intermedium, sed præter hæc etiam aliquid summum. Per summam autem potestatem intelligimus consveto significatu omnia summæ Majestatis jura, quorum usus in ipsis requiritur civitatibus. Nullus enim hic in Politia occurrit defectus, sed quicquid summæ potestatis reperitur in Monarchia & Oligarchia, idem etiam Politia non est denegandum, cum eodem jure, quo reliquæ hanc summam potestatem possident, istam quoq; sibi postulare possit & debeat.

41. (3) *Subiectum*: quod summa potestas sit penes *Populum*. Hic enim supremam constituit classem, & ob ulterius negationem capitis partes sibi postulat. (1) *quia* vera est Democratia: in hac autem penes populum summa Majestas esse debet (2) *quia* hoc respectu à rebus publicis Monarchicis & Oligocraticis distinguitur (3) *quia* hoc pacto vera *ισονομία* & *ισομοιρία* observatur.

42. (4) *Finem*: quod attendatur bonum publicum (1) *quia* dicitur Politia *ἀπὸ τῆς πόλεως* à civitate:
neces-

necessum igitur est, ut in ea bonum non unius civis,
 sed totius civitatis h. e. publicum attendatur. (2) *quia*
 sic vera erit *Democratia*, si τὸ δῆμος h. e. totius populi
 qværat bonum. Verum erit *populare imperium*, si
 populare bonum unice appetat & intendat: vera erit
Respublica, si publicum bonum conservet, & conser-
 vando augeat. (3) *quia* sic nulla foret æqualitas. Nisi
 enim omnium salus ipsis vel imperantibus vel pa-
 rentibus esset curæ in Politia, hæc omnino periret æ-
 qualitas, cum neutiquam eadem cum privati unius
 vel alterius commodi appetitu & illicito raptu con-
 sistere qveat. (4) *quia* hic nulla foret ἰσονομία & ἰσομοι-
 ρία seu jus æquale & æqualis portio. Cum enim pri-
 vatum qværimus commodum, nobis plus justo tri-
 buimus, & aliis hoc ipsum eripimus, & sic illam
 ἰσονομίαν seu ἰσομοιρίαν evertimus. (5) *quia* Politia in
 hoc puncto à Democratia specialiter sic dicta distin-
 guitur, & inter Respublicas rectas nominatur & nu-
 meratur. Recta autem esse non posset, nisi boni pu-
 blici curam gereret. Est enim, ut ex definitione
 constat, Recta respublica, in qua bonum intenditur
 publicum, sicut è contra privatum in corrupta repu-
 blica commodum appetitur.

43. *Democratia*, specialiter sic dicta, alio nomine
 vocatur ὀχλοκρατία, *partim* quia vox Democratia est
 generalis, & tam Politia, quam huic statui communis
 ut igitur de distinctis distinctè fiat sermo, hæc Och-
 locratia vocula adhibetur: *partim* quia vox Demo-
 cratia etiam sæpius κατ' ἐξοχὴν pro Politia sumitur,
 ne igitur bona cum mala confundatur, distincto vo-
 cabulo utraq; exprimi potest: *partim* quia hæc

vox ἐμφοτικώτερος exprimit hunc statum, dum & sono & sensu turbas spirare videtur. Nam ὄχλος potius *turbam* significat, quam populum, & alio significato *molestiam*, ut apud Eurip. ὄχλον παρέξεις, seu ὄχλον κινεῖν turbas excitare, ipsum verbum etiam ὀχλέω significat *turbo, commoveo, molestia afficio*. Hæc omnia si attendimus, facile deprehendimus, quod ὀχλοκρατία non tam significet populare imperium, quam *turbæ molestæ & commotæ dominium*. Dicitur etiam λαοκρατία.

44. Est autem *Democratia specialiter sic dicta* ejusmodi *Democratia, in qua summa potestas est penes populum, bonum privatum spectantem*. Reliqua ex præcedentibus sunt dilucida, hic solum notamus finem, quia hic Ochlocratia est proprius, eamque distinguit à Politia, quæ rectam Democratiam includit. Finis hic est, bonum privatum spectare.

45. Hoc autem fieri dicitur (1) *ab omnibus*, quando omnes neglecto bono & statu publico suam tantum gerunt curam; duplicem enim gerit statum quilibet δημοκρατέμεν & civis; alterum *privatum*, quæ suæ præest familiae, alterum *publicum*, quæ est pars universi, quod universum summæ Majestatis est subiectum. (2) *à plerisque*, quando vel plerique, vel præstantiores, aut etiam locupletiores ex privato affectu publicæ rei abjiciunt curam, sibi que soli vivere contendunt. Perit enim æqualitas hoc respectu, & maxima fit inæqualitas. Cum autem æqualitas sit Democratia fundamentum, non potest Respublica non ex illo dissidio magnum expectare detrimentum

tum

tum. (3) *A paucis.* Nam & hi tollunt illam æqua-
litatem, adeoque, quantum in se est, tollunt totius
Reipublicæ fundamentum, licet damnum non sit
tantum. Et ut plures dantur gradus, qui legi pos-
sunt apud Aristotelem d. l. ita Democratia pessimus
videtur esse status, quando non tantum omnes seu
universi imperant, sed etiam singuli volunt impera-
re: quando jure imperandi non sunt contenti, sed
actu etiam imperare conantur. Hoc enim res-
pectu totus turbatur status, & verè, quod publicum esse
debebat, fit ipso actu privatum, summa ibi fit com-
motio, pessima dominatio, salutaria negliguntur
consilia, omnia administrantur ex imprudentia,
summa ibi regnat inconstantia, & pessimus omnium
rerum publicarum status est. Vocatur aliàs Cyclo-
picum imperium, quando *ἰδεὶς ἰδεὺς ἀκρίει*: Ut enim
infantia vulgi aliàs magna est, ita hic fit
maxima. Tantum de Demo-
cratia.



Ad



Ad
Humanissimum Dn. Respondentem,
publicè

DE DEMOCRATIA DISPU-
TANTEM.



Ivonus migrat per tot discrimina re-
rum,
Discat ut hinc linguas Theulo-
giamque suam.

Hinc gremiis meritò nostris complectimur o-
mnes,

Offerimusque bonis munera mille viris.
Tu quoque venisti, nostrasque profectus ad o-
Colligeres ut opes divitiasque tibi, (ras,
De nostro nunquam debes dubitare favore;
Fac tantum, veniunt quæ facienda tibi.
Hic labor est primus: si sic perrexeris ire,
In nostris terris munera magna leges.

Michael Wendelerus
D. & P. P.

Ad Per-

Ad

*Per-Eximium & Præstan-
tissimum*

Dn. RESPONDENTEM

Rublica cura *Rei*, populo quæ *publica*
fertur,

Non unius erit *Δημοκρατῆν* &
opus.

Imperium populi cives sibi postulat omnes
Aequales, uni cedere sceptrâ nequit.

Posidet id reges totidem virtute paratos,

Imperii cives quotquot in orbe tenet.

Hæc tibi cura fuit proponere, *Fautor amande*,

Curæ felicitis grandia dona feras!

PRÆSES.

Eximio DOMINO RESPONDENTI

*Amico & Sympatriotæ singu-
lariter dilectæ*

ET quid præstiterint studium, privæq; Ca-
thedræ,

publica jam tandem pulpita nosse cupis.

Argento

Argento nullus terris color abdito avaris,
Ufu ni multo splendeat, esse solet:
Nec quenquam Doctrina potest celata Juvare,
Et multi multum te nisi scire sciant.

deproperabat

M. Andreas Schüringius
Rigensis.



Coll. diss. A. 25, misc. 55